Lane Medical Library

DE

CATARRHO VENTRICULI ACUTO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HENRICUS SILBERKUHL

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

J. HERBRUEGGEN, MED. ET CHIR. DR.
R. NOUPREZ, MED. ET CHIR. DR.
F. TEPEL, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154021_0082

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE, SUMMOPERE
VENERANDAE

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Eligenti mihi ex immensa rerum medicarum copia argumentum aliquod, de quo ad summos in medicina et chirurgia honores rite capessendos legibus academicis convenienter dissererem, clarissimus vates Romanus cantilenam suam insusurravit:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Quodsi nihilominus rem viribus meis maiorem mihi pertractandam elegisse Tibi, L. B., videar, me ad eam scias non tam perficiendi spe, quam experiendi voluntate aggressum esse. Etenim quam argumentum difficile sit, quod mihi tractandum sumsi, neutiquam equidem ignoro. Quam ipsam ab causam potius qualiscunque meae et eruditionis et experientiae medicae aliquod specimen, quam perfectam quandam numerisque omnibus absolutam commentationem exhibere volui.

Quod quidem specimen quale sit, de eo penes Te, L. B., judicium erit, quod, quaeso, quam clementissi-

mum atque humanissimum sit et in quo haud immemor sis praecepti illius Ovidii:

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

HISTORIA MORBI.

Catarrhus ventriculi acutus primum accuratius secundo saeculi proximi dimidio descriptus est; attamen non contendimus, eum morbum antiquissimis temporibus incognitum fuisse. Primum opus de morbo est Fr. Hoffmanni „de febri stomachica inflammatoria“, Genevae 1761, quo in opere febribus adsentibus adhuc adnumeratur. Posterioribus temporibus complura opera de eo edita sunt, in quibus alius aliud nomen huic morbo dedit. Nostro saeculo ejusque quidem initio de febrium essentialitate a Broussais, pathologiae localis auctore, scriptum est; magnum ejus meritum est eo, ut librum, „Traité des phlegmasies chroniques“, Paris 1808, ederet, quo attentionem ad frequentiam inflammationis tunicae ventriculi mucosae convertit. Hic morbus ab eo gastritis appellata est, neque solum hoc nomine variae conditiones ventriculi continebantur, sed etiam exordium magni diversissimorum morborum numeri

esse putabatar. Postea multae atque longae controversiae natae sunt, quibus multum conferebatur, ut morbus accuratius cognosceretur; attamen nostro demum tempore, et imprimis, ex quo a Rokitansky de eo egregie scriptum est, hunc morbum bene cognovimus.

SYMPTOMATA MORBI.

Omnibus in locis, in quibus vasa sanguine nimium completa sunt, catarrhus nascitur; sed eae mutationes in ventriculo inter omnem normalem digestionem observantur, neque tamen catarrhus nominatur; is contra potius adest, si processus physiologici finem normalem transeunt; eum morbum igitur saepissime nasci, facile intelligi potest.

Dispositio ad catarrhum ventriculi varia est; major est multis in casibus ob rariorem atque minorem secretionem succi gastrici, quum ingesta abnormaliter decomponantur. Qua de causa videmus, eo morbo saepe aut semper fere homines febri laborantes affici, praesertim quum, quo plus secretio minuitur, non eo minorem ciborum copiam sumunt; sed omnem febrem catarrho ventriculi conjunctam esse negandum est. Contra concedendum est, dispositionem ad eum morbum majorem esse in hominibus infirmis,

confectis, male nutritis, ut enim sanguinis, ita succi gastrici secreti copia in iis minuitur. Tum catarrhum ventriculi acutum saepe in iis, qui repetitis catarrhi insultibus jam affecti erant, observamus. Neque cognosci potest, quibus de causis ii illo morbo multum laborent, qui maxime atque diligentissime ventriculo parcunt eumque ab omnibus irritamentis anomalis tueri student. Exempli causa facilius ii catarrho ventriculi afficiuntur, qui usui spirituosorum non consueverunt, quam ii, qui quotidie modicas portiones bibunt. Nec non infantes, qui diligenter observantur, quod ad edendum attinet, facilius laborant hoc morbo, quam ii, qui saepe cibis dyspeptis vescuntur.

Jam de causis, quae catarrhum ventriculi acutum efficiunt, agamus. Prima causa in eo posita est, si major copia ciborum, qui per se facile digeri possunt, sumuntur. Nam hoc in casu abnormia decompositionis producta formantur, quum succi gastrici copia pro copia ciborum digerendorum non sufficiat. Qua de causa symptomata hujus morbi non statim, sed post unum vel duos dies apparent. Ea est semper fere causa in infantibus; adolescentes enim tam prudentes et cauti sunt, ut non nimiam copiam sumant.

Aliam causam catarrhi in eo reperimus, si nutrimento dyspepta eduntur, quae, ut antea, hic quoque

producta decompositionis abnormia efficiunt, ut morbus nascatur. Quod alimenta dyspepta sunt, saepe ab eorum forma tantum dependet. In iis individuis, qui celerrime edunt et dentibus minus utuntur, eupepta quoque alimenta noxia esse possunt, quum succo gastrico parva tantum superficies sit. Saepissime carnis axunguia catarrhus ventriculi inducitur, non quod ea difficilius digeritur, sed quod carnem nimis involvit et impedit, quominus succum gastricum imbibat, eoque modo prompte illam digeri non sinit.

Persaepe porro catarrhus ventriculi acutus efficitur, si alimenta jam fermentatura sunt, priusquam in ventriculum veniant. Quo facto fermentatio incepta progreditur et sic morbus provocatur. Ac plurimum quidem in infantibus, quum lac bibunt, evenit. Etenim si fermentatio lactica jam coepit, lac semper pejus fit, majore lactis copia adveniente, quamvis per se bonum sit.

Praeterea catarrhus ventriculi saepe nascitur, si membrana mucosa ingestis calidissimis aut frigidissimis aut aliis noxie efficientibus rebus irritatur, nec non si motus peristalticus aliqua ex causa minuitur, ut in abusu spirituosorum et majore copia opiatorum sumpta.

Denique hic morbus causa incognita invenitur, quum genius epidemicus gastricus adest.

Neque semper catarrhus ventriculi acutus morbus idiopathicus est, sed saepe affectio secundaria et symptomatica praecipue in acutis exanthematis, imprimis in erysipelate, typho, pneumonia.

ANATOMIA.

Raro occasio catarrhum ventriculi acutum observandi sectione facta datur. Interdum membrana mucosa rubre affecta atque tumefacta, et superficies crasso mucoso tecta est. Plurimi momenti sunt observationes a Beaumont in tunica mucosa ventriculi in Canada factae. Morbo incipiente membrana mucosa fuit valde rubra atque strato mucoso tenace, pellucido, quasi vitreo tecta; interdum aliquid sanguinis aderat; tum stratum mucosum crassius factum est et secretum reactione alcalica fuit. Mox nonnullis diebus elapsis status integer natus est. Saepe obductione facta, in aegrotis, praecipue in infantibus, gastromalacia observata est, quae eo efficitur, quod post mortem, quum cadaver paulatim frigidum reddatur, fermentatio non supprimatur et quod ventriculi parietes circulatione sublata ei resistere non possunt, sed emolliuntur.

Rokitansky ille clarissimus, qui omnibus in casibus gastromalaciam post exitum lethalem nasci negat, duos eius ordines discernit: gallerticam et nigram; quarum prima semper fere in curvatura majore sedet; primum membra mucosa, tum membrana musculosa, denique etiam peritonaeum emollitur. Gallertica variis coloribus est, quae singulos nigros locos ostendit, quod ex arteriis et venis emollitis venit. Ventriculus, quamvis facillime tangamus, rumpitur; quod interdum jam antea contigit; quo in casu contenta in cavum peritonaei diffusa sunt.

Quod ad nigram gastromalaciam attinet, nascitur, si vasa capillaria sanguinea nimis completa sunt, quum gastromalacia exoritur.

Sed gastromalaciam non morbum, sed morbi productum esse multis causis cognoscitur, primum gastromalacia semper fere eo in loco sedet, in quo contenta acida accumulata sunt; secundum experimenta, quibus per artem gastromalacia facta est, demonstratum, tum experientia doctum est, iis in casibus, in quibus sectione facienda parietes ventriculi rupta et contenta in cavum peritonaei diffusa inveniuntur, neque per vitam symptomata, neque in sectione residua peritonitidem cognita esse posse. Denique eandem gastromalaciam in infantibus, in quibus per vitam nihil morbi ventriculi apparuit, quibus

autem ultimis vitae horis lac sive aliquae substantiae facile atque celeriter in fermentationem transeuntes data sunt, invenimus.

DECURSUS.

Symptomata hujus morbi tam vehementia atqua gravia sunt, ut sponte intelligatur, eum non adeo sanabilem esse, ut facile atque celerrime tolli possit. Homines aegroti sunt defatigati, morosi, invicem queruntur de horripilationibus et calore tenace; caput calidum, extremitates frigidae sunt; praecipue dolore premente, qui a fronte usque ad os occipitale extenditur, et sensatione, quasi caput rumpitur, affecti sunt. Appetitus deest, sitis aucta est; regio epigastrica pressionis et plenitudinis sensu vexatur, qui tunc adest, si ventriculus vacuus est; nutrimenta odiosa sunt. Quo accedunt symptomata, quae abnormibus decompositionibus ingestorum ventriculi adducuntur. A Bidder et Schmidt observatum est, succum gastricum, muco adjuncto alcalicum factum, substantias proteinicas, ut integro in statu, solvere non posse, sed eas sponte decomponi et putridum odorem reddere. Eae quoque substantiae, quae succo gastrico non digeruntur, abnormaliter decomponuntur. Mucus secretus, ut fermentum, amylacaea efficit; ma-

jorem enim copiam sacchari in acidum lacticum mutat, saepe etiam in acidum butyricum. Interdum etiam acidum aceticum nascitur et tum quidem, quum substantiae, quae jam in fermentationem transierunt, sumuntur. In materiis albuminosis decomponendis foetida gasa, quae acidum hydrothionicum continent, nascuntur. Quae quum ita sint, facile intelligi potest, interdum homines aegrotos gasa extrudere et regionem gastricam intumefactam esse. Statim, quod cum ventriculi catarrho semper fere catarrhus oris conjunctus est, malignus atque foetidus odor ex ore provenit.

Si individua aegrota non majorem alimentorum portionem sumunt, quam ventriculus digerere potest, neque morbus aliis rebus valetudini noxiis adjuvatur, symptomata post aliquot dies abeunt. Contenta ventriculi, abnormaliter decomposita, quum per pylorum in duodenum venerunt, interdum bili efficiente non amplius decomponuntur, saepissime autem processus ad intestinum transit, ubi symptomata similia atque graviora provocat, donec tandem diarrhoea exoriatur. Si insequenti nocte homo aegrotus bene dormit, valetudo ejus quoque melior vel restituta esse solet. Urina, quae in morbo pigmento abundans concentrata sedimenta deposuit, in integrum statum reducitur.

Neque semper symptomata sunt tam levia. Si

causae, quae catarrhum ventriculi acutum effecerunt, vehementiores erant, vomitus acrior nascitur, qui longioribus aut brevioribus intervallis repeti solet. Quo quum gravior irritatio mucosae membranae intestini accedit, diarrhoea augetur. Nonnullis in casibus is catarrhus longum per tempus durat et morbus exoritur, quem febrem gastricam nominamus. Initio persaepe levis horripilatio adest; pulsuum frequentia usque ad 100 intra minutam et quod excurrit adscendit, neque minus temperies adaugetur. Defatigatio hominis aegroti tanta est, ut stare non possit et in articulationibus dolores adsint. Valetudo in universum vehementer depressa est; qui status proximis diebus augetur et tempore matutino remissiones, vespere autem exacerbationes oriuntur. Quin etiam deliria nasci possunt, ita ut symptomata hujus morbi typhi symptomatis maxime similia sint. Sed complures post dies, aut secunda quidem hebdomade dolores cedunt, diarrhoea desinit, appetitus sentitur, et homo aegrotus in stadium convalescentiae transit; valetudo autem paulatim in integrum statum reducitur, quamquam dispositio ad catarrhum remanet. Sed symptomata catarrhi ventriculi acuti varia esse possunt; qua de causa Niemeyer clarissimus febrem mucosam et biliosam discernit.

Quod ad febrem mucosam attinet, eo differt, quod

productio muci tenacis maxima, decursus diuturnus atque pertinax est. Frequentia pulsuum non tanta est, quanta in febri gastrica. Defatigatio autem major est, homo aegrotus semper fere ad dormiendum propensus est; neque tantum muci in ventriculo multa copia nascitur, sed etiam in intestino, pharynge, ore, interdum etiam in bronchiis et organis uropoeticis. Quo efficitur, ut aegroti, praecipue tempore matutino, ingentem muci multitudinem ejiciant.

Febris autem biliosa est ea forma catarrhi ventriculi acuti, in qua catarrhus maxima polycholia, maxima formatione atque secretione bilis complicatur; qui morbus apud nos raro invenitur. Frequentia pulsuum et temperies adaucta est, cutis calida, facies rubra, dolores capitis vehementissimi sunt. Quam ob rem aegroti dormire non possunt. Hepar intumefactum est; parvus gradus icteri nascitur, id quod maxime in sclerotica et altissimis cutis locis animadvertitur. Quod quidem eo explicandum est, quod ingens bilis secretae copia amoveri non potest. Morbus his symptomatis semper crescentibus unam minime hebdomadem permanere solet. Tandem finis adest, quum diarrhoea, cui multum bilis admixtum est, nascitur.

Jam vero ad catarrhum ventriculi acutum infan-

tum transeamus, qui in iis praecipue in prima vitae periodo plerumque eo provocatur, quod nimium lactis sive materni sive vaccini iis bibendum detur.

Bednar leviores casus „dyspepsiam“, graviores diarrhoeam κατ' ἐξοχήν vocat. Quod ad dyspepsiam attinet, infans aegrotans lac quodlibet rursus evomit. Fere simul cum vomitu abnormales secretiones intestini exoriuntur; quin etiam vomitus et faeces abnormales deesse possunt; liquor acidus et flavus, in quo aut plures aut minores massae crassae apparent, unicum symptoma sunt. Multis in casibus post paucos dies vomitus sistitur et infantes convalescunt; in aliis autem gravior forma efficitur, quae a Bednar, ut supra diximus, diarrhoea κατ' ἐξοχήν vocatur. Haec saepe lethifera est et, si sanatio contingit, magna ad recidivas propensio manet.

DIAGNOSIS.

Diagnosis catarrhi ventriculi acuti plerumque facilis est et raro error nasci potest. Sed interdum accidit, ut symptomata hujus morbi typhi similia sint. Praecipua diligentia curaque in diagnosi constituenda primam per hebdomadem adhibenda est, quum saepe initio morbi natura non satis appareat. Quibus in casibus plurimum aetiologia valet. Si vi-

tia diaetetica non antea commissa sunt, sed potius multi typhi casus in ea regione adsunt, conjiciendum est, typhum formari. Tum in catarrho ventriculi acuto temperies et frequentia pulsuum non tantum augetur, quantum in typho. Deinde si catarrhus bronchiorum parvorum adest, typhum nasci verisimile est; contra si herpes labialis existit, catarrhum ventriculi acutum adesse probabile est. Quo facto de morbo non amplius dubitari potest, praesertim quum in typho maculae roseolae et tumor lienis exsistant.

Praeterea catarrhus ventriculi acutus computari potest cum erysipelate incipiente, quum hujus primum symptoma ille catarrhus sit. Sed distinctio facilis est, si nonnullis in corporis partis sensatione tendente vel ardente aegrotus afficitur. Prorsus certa autem distinctio est, si aliquo in loco eruptio nascitur.

Catarrhus ventriculi acutus, si eo infantes afficiuntur, aegre atque difficulter cum alio morbo mutari potest.

PROGNOSIS.

Quod ad sanationem attinet, nullus fere morbus gravior tam faustam prognosin exhibet, quam catarrhus ventriculi acutus. Rarissimis in casibus exi-

tus lethalis exsistit, neque unquam accidere dicitur, si homines, qui eo morbo laborant, antea sani atque robusti erant. Sed imbecilli et decrepiti aut infantes, quum collapsus praevalet, interdum morte abripiuntur, quin etiam infantibus catarrhus ventriculi malum periculosissimum est, quod vel cura diligentissima adhibita saepe lethalem exitum adducit. Minus fausta est prognosis, quod ad valetudinem totam restituendam attinet. Saepissime enim catarrhus acutus in chronicum mutatur, quo facto etiam dispositio ad eum morbum postea major est.

THERAPIA.

Prophylaxis catarrhi ventriculi acuti ante omnia diaetam huic morbo aptam requirit. Qua de causa hominum febri laborantium et convalescentium diaeta eupepta sit oportet neque nimia copia ciborum iis detur. Quo vehementior febris est, eo minor portio alimentorum esto.

Ne morbo infantes afficiantur, ea, quae sequuntur, observanda sunt. Lac, quod iis bibendum praebetur, recens sit. Quodsi in eo etiam paululum tantum acidi adsit, tamen coquendum est, ut impediatur, quominus saccharum in acidum lacticum mutetur. Neque abs re est, si ei lacti alcalia carbonica adduntur, ut lac

reactionem neutralem exhibeat. Praeterea lacti paulum aquae admiscendum isque potus brevibus intervallis interjectis infantibus porrigendus est. Vasa, ex quibus infantes potum hauriunt, eorumque os semper diligentissime purganda sunt.

Indicatio causalis, catarrho acuto in infantibus exorto, postulat, ne iis lac amplius bibendum detur et hocce medicamentum praescribatur:

℞ Arg. nitr. gr. 3
Aq. dest. ℥ij ß
Syr. simpl. 3vj

M. D. S. Per horas binas 1 cochlear minus sumatur,

vel quod Bednar praebere solet:

℞ Calomel. laev. gr. iv
Pulv. rad. Jalap. gr. ij
Sacch. albi 3ß

M. f. P. divide in doses aequal. No. VIII.

D. S. Alternis horis pulvis unus cum aqua exhibeatur.

Quae medicamenta si minus prosunt, ita ut vomitus quidem desit, gravissima autem diarrhoea permaneat, Niemeyer praebere solet acidum tannicum. Neque usus tincturae nucum vomicarum et creosoti prorsus rejiciendus est. Si causa catarrhi ventriculi acuti in majore alimentorum copia, quae per se

facile digeri possunt, sumpta vel etiam in eo posita est, quod motus peristalticus ventriculi impeditus est, remedia emetica et purgantia omnino rejicienda sunt. Quo in casu parvae doses (unum vel duo vitra) aquae Carolinae tempore antemeridiano, post meridiem autem saepe minores portiones jusculi carnis gravioris praebeantur.

In hominibus catarrho ventriculi acuto ea de causa affectis, quod nutrimenta dyspepta vel ob minorem superficiem muco gastrico non penetranda sumpta sunt, ante omnia exquirendum est, utrum nutrimenta illa adhuc in ventriculo sint, an iam in duodenum transierint. Ubi epigastrio presso et pleno, percursione hujus regionis, gasibus et liquoribus ejectis, certo cognoscitur, adhuc ingesta in ventriculo versari, aptissime remedium emeticum hocce adhibetur:

℞. Pulv. arcad. Ipecacuanhae ℈j.
Tart. stib. gr. j.
M. t. p. una vice sumatur.

Nec non remedium emeticum adhibendum est in febri modica, quae catarrhum ventriculi acutum comitatur. Si ea autem acrior atque vehementior est et dubitatio exsistit, utrum febris an typhus adsit, nunquam emeticum dandum est. In doloribus vehementissimis pilulae glacialis et morphium praeberi possunt.

Ubi autem ingesta ventriculum reliquerunt, et in intestinum venerunt, quamvis homines aegroti vomitu atque sensu pressionis et plenitudinis in regione epigastrii vexentur, tamen emeticum non dandum est, verum potius laxantia, ut ingesta ex intestino depellantur, praescribenda sunt, cuiusmodi hocce est:

℞ Magn. ustae ℥ ß
Aquae dest. viij
M. D. S. Per singulas vel binas horas 1 cochlear maius sumatur.

Non raro, ut supra diximus, ventriculi catarrhus acutus nascitur, quia alimenta jam in fermentationem transitura sumpta sunt. Hoc quoque in casu emeticum dandum est; sed interdum accidit, ut parva horum noxiorum ingestorum copia remaneat, quamquam saepe vomitus evenit et multae faeces amotae sunt. Alcaliis datis acida quidem ligantur, decompositio autem et formatio productorum novorum acidorum impediri non potest. Tum complures medici argentum nitricum et acidum tannicum adhibent, ut, quum adstringentia sint, hyperaemiam membranae mucosae ventriculi intestinique moderentur. Niemeyer in eo casu alcalia carbonica et rheum commendat.

Denique catarrhus ventriculi acutus causa inco-

gnita exoritur, ubi genius epidemicus gastricus adest. Quo in casu quum plerumque abnormis muci copia efficiatur ex eaque de causa secretum ventriculi reactionem alcalicam exhibeat neque substantias proteinicas digerere possit, aegroto a carne edenda abstinendum et cibis e farina paratis vescendum est. Ad mucum amovendum et fermentationem impediendam aptissimum remedium est magnesia usta vel infusum sennae compositum; praeterea pilulae glaciales summi possunt.

Si posteriore in stadio morbi mucus non amplius exoritur, homo aegrotus, ut secretio melioris succi gastrici augeatur, natron bicarbonicum gr. vj—x compluries per diem vel, si sensibilitas ventriculi valde minuta est, aquam Sodae sumat.

Jam quum de indicatione causali disseruimus, ad indicationem morbi transeamus. In quo maximi momenti est, ut homines aegroti quam longissimum per tempus alimentis abstineant. Experientia enim docet, hyperaemiam admodum auctam, ingentem muci productionem et cetera mala facile atque celeriter ad normam reduci, si causae, quae morbum effecerunt, auferuntur et omnes res, quae nocent, vitantur. Qua de causa, quum ingesta quamvis mitissima hyperaemiam, ut supra diximus, catarrhalem augeant, efficacissimum remedium illud est, ut

homines hoc morbo laborantes, quam diutissime fieri possit, cibos non sumant. In quo multi aegroti medico non obediunt; quo vehementius autem id fit, eo pertinacius ea in ratione permanendum est. Sive morbus longius per tempus duret sive febris acrior adest sive consumptio timenda est, liquida tantum alimenta, quae minimam irritationem provocent, aegroto concedantur. Nisi symptomata formationis acidi abnormis apparent, amylacaea sola permittantur. Quodsi morbus longius etiam protrahitur vel homines confecti, male nutriti, decrepiti eo afficiantur, ante omnia et ubique cibi dandi et praebendi sunt, qui majorem nitrogenii copiam continent. Simul maximi momenti est, formam ciborum talem eligere, qua quam minime membrana mucosa ventriculi irritatur et quam minima tantum succi gastrici copia secernatur. Difficillimum est, alimenta reperire et eligere, quae infantibus, qui catarrho ventriculi acuto laborant, aptissima atque accomodatissima sunt.

Primum obliviscendum non est, infantes, etsi nonnullos per dies nihil edunt et aquam solam bibant, tamen non confici. Quodsi eo vomitus atque diarrhoea desiit, collapsus saepe celeriter discedit et infantes aegroti convalescere videntur. Quo facto iis paulatim parva lactis portio detur. Quam si ferre

non possunt, Niemeyer extractum carnis commendat, quod eo paratur, ut caro in tesseras secta, aqua non addita, in vitro firme concluso ponatur atque illud nonnullas per horas in vase, quod aquam coquentem continet, collocetur.

Si catarrhus ventriculi acutus acerrimus est, praesertim quum vomitus vehemens sitisque magna adsint, frigus adhibendum est. Quo in morbo acidum carbonicum dari assolet. Quum igitur eo gasa celeriter ejiciantur et expellantur, aliquod per tempus aegrotus morbo levatur. Sed dubitandum est, num acidum carbonicum ad hyperaemicam membranam mucosam ventriculi moderandam multum valeat, cuius loco melius alcalia carbonica sunt adhibenda. Nam iis mucus tenax minuitur et secretio eius promovetur. Observationes a Blandlot et Frerichs factae docuerunt, secretionem succi gastrici, praecipue acidi eius, adiuvari, ita ut non solum reactio neutralis, sed etiam acida appareat.

Multis in casibus fausto exitu est usus tincturae rhei aquosae, quod remedium in febri mucosa valde commendandum est. In febri gastrica autem et febri biliosa maxime adhibetur acidum muriaticum concentratum hacce forma:

℞ Acidi muriatr. 3ß
Decoct. Hordei ℥vj

Sacch. alb. ℥j

M. D. S. Per binas horas 1 cochlear maius sumatur.

Qua quidem ratione secretis ventriculi alcalicis acidum advehitur, quod e legibus physiologicis ad digestivam ipsius succi gastrici vim plurimum valet.

Praeter indicationem causalem et indicationem morbi symptomatica quoque indicatio respicienda est, cujus ratio tum maxime habenda est, quum symptomata vehementissima atque homini aegroto perniciosa accidere videntur. Gravissima est indicatio symptomatica iis in morbis, quorum causae incognitae sunt. Igitur in catarrho ventriculi acuto, cuius causae cognitae sunt, non adeo multum valet. Inter symptomata, quibus saepissime postulatur indicatio symptomatica, vomitus et diarrhoea habenda sunt. Quamquam autem ex iis, si modica sunt, prognosis fausta institui potest, tamen adeo vehementia atque periculosa fieri possunt, ut sanguine, multa aquae copia amissa, crasso periculum adsit, ne exitus lethalis sequatur. Igitur primum pilulae glaciales adhibendae sunt, quae si opem non ferunt et diarrhoea acrior permanet, opium solum sive hocce medicamentum dandum est:

℞ Opii puri gr. iij

Extr. Chinae ℥j

Vitell. ovor. N. j
tere cum Aqua cinnam. simpl. ℥iv
adde sacchar. albi 3ß
M. D. S. Per ternas horas 1 cochlear maius sumatur.

Quamquam in infantibus opium non adeo adhibendum est, tamen, si diarrhoea vehementior sit, parvae doses dari possunt, velut tali medicamento:

℞ Tinct. opii simpl. gtt. j
Mucil. gi. mimos.
Syr. simpl. āā 3iij
Aq. chamom. ℥j
M. D. S. Per singulam horam 1 cochlear minus sumatur.

Tum in decursu catarrhi ventriculi acuti muci copia, alcoliis jam adhibitis neque valetudine meliore reddita, tanta fieri poest, ut causa pertinacis atque diuturni morbi sit vel reconvalescentiam retardet et impedimento sit, quominus digestio melior fiat. Hoc in casu in posteriore quoque morbi stadio emetica adhibita magno usui sunt.

Ut in prognosi dictum est, catarrhus ventriculi acutus saepe in chronicum transit, qui hoc in casu curandus est. In genere eadem remedia adhibenda sunt, ut in catarrho ventriculi acuto, et pauca tantum addenda sunt. Rarioribus in casibus emeticum

dandum est: morbo abusu spirituosorum provocato ea sumi vetetur necesse est.

Ut indicationi morbi sufficiamus, praecepta diaetetica plurimi momenti sunt.

Quum his morbus diutius permanet, impossibile est, homines aegrotos omnino cibo abstinentes facere, quod quidem optimum ad restituendam membranam mucosam remedium est, sed maxima providentia atque cura id agendum est, ut aegrotus homo nihil nisi cibum aptum sumat. Ad quod consequendum nihil aptius est, quam ut aegrotanti accuratissime praescribatur, quales atque quantos cibos quibusque temporibus sumere ei licitum sit, qua de re Niemeyer ille Ill. dicit: „Je präciser die Vorschriften sind, desto genauer werden sie befolgt, und wenn die vorgeschriebene Diät gar den Namen einer Cur führt, so wird sie von den Kranken fast immer mit peinlicher Gewissenhaftigkeit beobachtet."

Nunc nobis aliquid de specie ciborum dicendum restat, quos singulis in casibus aegrotis praebere debemus, quum non cuilibet aegroto eadem diaeta apta utilisque sit. Compluribus aegrotis plurimum ad valetudinem bonam assequendam valet, siis, cibis aliis exclusis, lac recens praebetur, alii autem e contrario hanc diaetam omnino ferre non possunt, et interdum nobis perdifficile est a priori certe dictu,

quid nobis sit eligendum.

Meliore valetudine alii aegroti gaudent, si lacte fruuntur, e quo butyrum jam praeparatum est. Id in eo positum esse videtur, quod lac recens in ventricum ingestum in coagula magna atque solida coit, quod non accidit lacte ebutyrato hausto, in quo caseinum jam coagulatum, sed subtilissime dissolutum est. Porro omnes cibi removendi sunt, e quibus in ventriculo magnae acidi lactici copiae nascuntur. Qua ex re elucet, aegroto melius esse, si ei percaute in parvis tantum portionibus caro praebeatur, quam si olera tantum ei sumenda jubeantur. Interdum videmus carnem sale vel fumo induratam ab aegrotis majore commodo sumi, quam carnem recentem, quum digestui minus idonea est, quod ex eo intelligimus, quod caro sale vel fumo siccata non tam facile in fermentationem transit, quam caro recens.

Sed facile est intellectu, in catarrho ventriculi chronico praecepta diaetetica eundum bonum eventum raro tàntum habere posse, quem, diaeta apta adhibita, videmus in catarrho ventriculi acuto, sed et ad sanandum catharrhum chronicum nobis remedia efficacissima in manibus sunt, ex quibus praecipue commemoranda sunt ea alcalia, quae acidum carbonicum continent, et imprimis eae

aquae, quibus praeter natrum carbonicum alcalia phosphorica et natrum chloricum insunt. Maximi momenti optimique eventus fontes Karlsbad vel Marienbad sunt. Jam diu hi fontes a celeberimis medicis commendati sunt et adhuc commendantur, quod nobis gravissimum salubritatis eorum signum esse videtur. Si fieri potest, ut aegrotus in loco ipso, ubi hi fontes oriuntur, iis fruatur, id saluberrimum est, alias autem, si domi sumuntur, creberrime bonum eventum videmus. In usu harum aquarum id primum notandum est, eas vacuo et sobrio ventriculo inducendas esse. Nam hoc medicamentum tum tantum in tunicam ventriculi mucosam et mucum, qui illam obtegit, vim habet, si purum neque ingestis immixtum in ventriculo inest.

Vim quoque salutarem in curandum ventriculi catarrhum chronicum salia metallica habent, imprimis bismuthum hydrico-nitricum et argentum nitricum, quum non solum fermentationem ingestorum prohibeant, sed etiam ventriculi mucosam hyperaemicam dissolutamque adstringant, quo eventus faustus adducitur. Atque magnae doses horum medicamentorum ab aegrotis feruntur, ita ut bismuth. nitric. usque ad gr. X., argent. nitric. usque ad gr. j—1j uno impetu praebere possimus, idque, quod jam de aquis salinicis supra diximus, ventriculo vacuo.

Interdum atonia tunicae ventriculi mucosae existit, quo cogimur, methodum curandi mutare. Quod si accidit, summa cum cautione praeparata ferri et leviora excitantia praecipiantur et cibi paullum conditi praebeantur, et aquae Pyrmont et Driburg tum facilius feruntur, quam fontes Karlsbad vel Marienbad. Si breve tempus ante coenam aegrotum ipecacuanhae granum dimidium in pillulis cum rhei granis iij—iv conjunctum sumere jubes, id aegroto aliquid commodi afferre solet. Si, quod quidem raro fieri solet, regio epigastrica graviter dolet, hirudines nonullae vel cucurbitulae hac in regione applicatae dolores mira ratione leniunt et, si hyperaemia ventriculi generali abdominis plethora provocatur, hirudines in anum applicatae magnum habent effectum. Obstipationem, quam plurimis in casibus invenimus, aptissime removemus extracto rhei composito, quum hoc praeparatum ventriculum ipsum minime irritat, in intestinum autem permagnam vim habet.

VITA.

Ego, Carolus Henricus Silberkuhl, natus sum Frohnhusiae, pago prope urbem Essendiam sito, d. III. m. Septembris anno MDCCCXLI, patre Joanne, quem praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Maria e gente Drüge. Fidei addictus sum catholicae. Primis eruditionis elementis imbutus, gymnasium Essendium petii, ubi anno h. s. LXI testimonium maturitatis assecutus sum. Auctumno ejusdem anni almam literarum universitatem Rhenanam petii, ubi ab Ill. Hilgers, rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. M. J. Weber, gratiosi medicorum ordinis tum temporis decano, medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Elapso biennio universitatem Herbipolitanam adii ibique ab Ill. Albrecht civis academicus factus sum. Inde praeteritis duobus semestribus Berolinum me contuli et ab Ill. Dorner, t. t. fasces academicos tenente, in album civium academicorum relatus, apud Ill. Reichert, medicorum ordinis tum decanum, nomen professus sum.

Octo per semestria praeceptores mihi fuerunt Illustr. Celeberr. Experient.

Bonnae: Bischof, Busch, Pflueger, Pluecker, Schaafhausen, M. Schultze, de la Valette, M. J. Weber, Beat. Wutzer;

Herbipoli: Bamberger, Dehler, Beat. Foerster, de Franque, Geigel, Koelliker, Linhardt, Rinecker, de Scanzoni;

Berolini: Frerichs, de Langenbeck, Martin, Traube, Virchow.

In clinicis exercitationibus duces mihi fuerunt: Bamberger, Frerichs. de Langenbeck, Linhardt, Martin, de Scanzoni, Traube.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago semperquo habebo quam maximas.

Jam tentaminibus, tam physico quam medico nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque adiectis palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I. Medicum ipsum remedium esse.

II. Crepitationem fracturae non esse certum signum.

III. Gastromalaciam non morbum, sed morbi productum esse.